

Vide etiam in tit. Abſtinentia, núm. 4. in tit. Am-
bitio, núm. 25. in tit. Amicitia, núm. 73. in tit. Ani-
ma, núm. 40. in tit. Avaritia, núm. 27, 37, 39, 47,
54, 71, 74. in tit. Beatitude, núm. 16, 22. in tit.
Bonum, núm. 3. in tit. Contemplus, núm. 5, 11, 14,
16. in tit. Cupiditas, et Eleemosyna, núm. 11, 33,
37, 38, 43. in tit. Gloria vana, núm. 26, 33. in tit.
Homo, núm. 31. in tit. Honor, núm. 16. in tit. Laus,
núm. 10. in tit. Paupertas et Proditio, núm. 1, 20.
in tit. Prosperitas et Relinquere, núm. 12. in tit. Sa-
lus, núm. 3. in tit. Sapientia, núm. 22. in tit. Ser-
vitium, núm. 14. in tit. Superbia, núm. 7, 10. in tit.
Veritas, núm. 30. in tit. Virtus, núm. 31, 33.

DOCTRINA SIVE DOCTOR.

1. Debet divinarum ſcripturarum Doctor fidei, ac
debellator erroris, et bona docere, et mala dedoce-
re, et hoc opere et ſermone conciliare adverſos, re-
miſſos erigere, nſcientibus, quid expectare debeant,
intimare. *Aug. de doctrina Chriſtiana.*
2. Doctor et ductor id agere debet, ut non ſo-
lum intelligenter, verum et libenter et obedienter
audiatur. *Aug. ibid.*
3. Omnis res, quæ dando non deficit, dum ha-
betur, et non datur, nondum habetur, quomodo ha-
benda eſt. *Ibidem.*
4. Sicut gratus eſt, qui cognoscenda enubilat, ſic
et onerosus, qui cognita inculcat: nam delectandi
gratia etiam nota dicuntur: ubi non ipſa, ſed mo-
dus, quomodo dicuntur, attenditur. *Aug. lib. 3. de doc-
trina Chriſtiana.*
5. Doctrina per malos, palmes in ſepe, botrus
inter ſpinas: cauté lege, ne dum quæris fructum,
laceres manum, et quum audis bona dicentem, ne
imiteris mala facientem. *Aug. ſuper Joan.*
6. Si me poſſes docere, quod nescio, non ſolum
te verbis, ſed et pugnīs cædentem deberem patien-
tiſſime ſuſtinere. *Aug. ibid.*

7. * Falsa doctrina eſt lepra mentis. *Aug. de ver.
Ap. ſerm. 2.*

8. *Da, et accipe, et juſtifica animam tuam*, id eſt,
verbum doctrinæ proximis impende, et honorum ope-
rum exempla relinque, ut recipias premium vitæ æter-
næ. Tibia et pſalterium ſuavem facient melodiam, et
ſuper utraque lingua ſuavis. *Aug. Eccl. 40. glo.*

9. Hæc naturaliter mulcent, et exhilarant animam,
ſed lingua ſuaviter docens plus confortat intellectum.
Ambr. ſuper Beati immaculati.

10. Ante vita, quam doctrina quærenda eſt. Vita
bona, ſine doctrina gratiam habet: doctrina ſine vita
integritatem non habet. *Glo. ſuper illud 1.*

11. Perfectio diſcipulorum gaudium et corona eſt
magiſtrorum: fructus enim magiſtri obediencia eſt
diſcipuli: et ejus bona converſatio coronam dat ma-
giſtro. *Theſſa. 2. Quæ noſtra ſpes, aut gaudium etc.*

12. Qui congrua diſciplina unumquemque arguit,
eruditum ſe, et probabilem doctorem in conſpectu
omnium oſtendit, nec ætas juvenilis in doctore deſ-
picienda, quem vita et discretio commendat. *Gloſſ.
ſuper ill. Eccles. 42. Sis de ſenioribus, etc.*

13. Multi juxta vetus elogium, cum loqui nesciant,
tacere non poſſunt: docentque ſcripturas, quas non
intelligunt: et quum alii perſuaserint, eruditorum ſibi
aſſumunt ſupercilium, prius imperitorum magiſtri,
quam doctorum diſcipuli. *Hier. ad Demetr. virg.*

14. Tanto quiſque minus oſtenditur doctus, quan-
to minus patiens: neque enim poteſt veraciter bona
docendo impendere, ſi vivendo nescit adverſa æquan-
imenter tolerare. Perfecti enim doctoris eſt, ſic alio-
rum improbitatem patienter ſufferre, ut ſe noverit ab
iniquis patienter obſervare. Neque enim propria mun-
ditiæ ſine tolerantia ſufficit, neque tolerantia ſine
munditiæ valet. *Greg. ſuper illud Prov. 25. Doc-
trina viri.*

15. Si ſubditi aliquid peccant, propter quod doc-
tores à quiete ſurgere cogantur, non tantum pœnam
illius peccati incurrunt, ſed etiam puniuntur pro in-

quietudine doctorum, quia qui doctores celestibus intentos inquietare præsumunt, etiam virtutes, quas habere se credebant, perdunt. *Glo. Greg. super illud Cant. 2. Neque suscitatis, etc.*

16. Mihi prope donatum credo, quicquid lectorum meum melius sentire cognosco: omnes enim, qui pleni fide de Deo aliquid sonare nitimur, organa veritatis sumus. *Greg. in moral.*

17. Doctrina cum omni imperio docetur, quando prius agitur, quam dicatur: nam doctrinæ subtrahit fiduciam, quando conscientia præpedit linguam. *Ibid.*

18. Quantacumque doctrina mens polleat, gravis ejus imperitia est, velle docere meliorem. *Greg. lib. 6. moral.*

19. Triplici modo in ecclesia docentium periculum pendet, ex sensu, ex verbo et auditu, ut perfacile inveniat in uno saltem aliquo, si non in omnibus labi. Aut enim minus illuminatus est sensus, aut ad explanandum defuit sermo sufficiens, aut bene proiata crassior non recipit auditus: et ex uno quolibet horum casu, fit in omnibus periculum veritatis. *Greg. in apolog.*

20. Hoc habet proprium doctrina arrogantium, ut humiliter nesciant inferre, quæ docent, et recta quæ sapiunt etiam recte ministrare non possunt. In verbis enim eorum perdantur, qui quum docent quasi in quodam sibi videntur summitatis culmine residere: eosque quos docent, ut longè infra se positos velut in imo, respiciant: quibus non consulendo loqui, sed vix dominando dignantur. *Greg. 14. moral.*

21. Experto crede, aliquid amplius invenies in sylvis, quam in angulis: ligna et lapides docebunt te, quod à magistris audire non possis. *Bern. in quadam epist.*

22. Doctrinæ spiritus non curiositatem arguit, sed charitatem accendit. *Bern. super Cant.*

23. Non minus pium est, docere animum scientiam, quam præbere escam corpori. *Ibidem.*

24. Intelligentia dictorum ex causis est adsumen-

da, quia non sermoni res, sed rei est sermo subiectus. *Hil. lib. 4. de Trin.*

25. Docere et non facere, non solum lucri nihil, sed et damni plurimum confert. Grandis enim condemnatio est componenti quidem sermonem suum, vitam vero suam atque operam negligenti. *Chrys. in lib. de comp. cord.*

26. Si artem usumque dissociet, utilior est usus expers artis, quam ars quæ sui usum non habet. Ars infœcunda est sine usu, et usus temerarius sine arte. *Chrys. in polic. lib. 6.*

27. Qui male sederit, injuriam cathedræ facit in iudicio sedens. Si bene vixeris, et bene docueris, omnium iudex eris. Si male vixeris, et bene docueris tui solius: nam bene docendo, populum instruis, quomodo populus debeat vivere: sed male vivendo doces Deum, quomodo te debeat condemnare. *Chrys. super illud Matth. 24 Super cathedram etc.*

28. Si bene vixerint, eorum est lucrum: si bene docuerint, vestrum. Accipite igitur quod vestrum est, nolite discutere, quod alienum est. Frequenter enim de malo homine bona doctrina procedit, sicut terra vilis pretiosum aurum producit: numquid propter vilem terram pretiosum aurum contemnitur? Igitur sicut aurum eligitur, et terra relinquitur, sic et vos doctrinam accipite, et mores relinquit. *Chrys. ibid. super illud Quæcumque dixerint, etc.*

29. Doctrinam accipiamus non mores: apibus herbæ non sunt necessariae, sed flores: sic et vos flores doctrinæ colligite, et conversationem relinquit. *Chrys. ibidem.*

30. Fidem predicant, et infideliter agunt: pacem aliis dant, et sibi non habent. Veritatem laudant, et mendacia diligunt. *Chrys. ibid. Dicunt et non faciunt.*

31. Docilitas est prudentia erudiendi imperitos. *Isid. in Synonym.*

32. Discretio est, quæ rerum consequentium continet perspicuam dilucidamque cum gravitate expositionem. *Ibidem.*

33. In lectione non verba, sed veritas est amanda. Sæpe autem reperitur simplicitas veridica, et falsitas composita, quæ hominem suis erroribus illicit, et per linguæ ornamenta laqueos dulces aspergit: nihil enim aliud agit amor mundanæ scientiæ, nisi extollere in laudibus hominum: nam quanto majora fuerint studia, tanto animus arrogantiae fastu inflatus majori intumescit jactantia. *Ibid. lib. 5. de sum. bon.*

34. Sicut instruere solet collatio, ita destruit contentio: hæc enim relicto sensu veritatis, lites generat, et pugnando verbis etiam in Deo blasphemam facit. Inde hæresis et schisma, à quibus fides subvertitur, veritas corrumpitur, charitas scinditur. Contentionum studium non pro veritate, sed pro appetitu laudis certat, tantaque est in his perversitas, ut veritati cedere nesciant, ipsamque reclam doctrinam evacuare contendunt. In disputatione fidelium cavenda est propositio, et artificiosa subtilitas, quæ callidis objectionibus retia tendit. Ita enim versutis assertionibus pravorum disputatio innodatur, ut reclusa esse simulent quæ perversa persuadent. *Ibidem.*

35. In Physica causa quærendi, in Ethica ordo vivendi, in Logica ratio intelligendi versatur. *Isid. 2. etym.*

36. Clausum habeat os peccator, quia qui seipsum non docuit, alium docere non potest. *Orig. hom. 58. super Lucam.*

37. Frustra sibi officium doctoris usurpat, qui discretionem Catholicæ fidei ignorat: neque sanctuarium domino, sed ruinam sibi ædificant, qui docere alios regulam, quam ipsi non didicere, conantur. *Beda de templo Salom.*

38. Sunt enim quidam, qui nulli arti, quod suum est, tribuere nolunt, sed in singulis legunt omnes. In Grammatica de syllogismorum ratione disputant: in Dialectica inflexiones casuales inquirunt: et quod magis irrisione dignum est, in titulo totum ponunt: legunt librum, et inceptam tertia vix lectione expediunt: non omnia dicenda sunt, quæ dicere pos-

sumus ne minus utiliter dicantur ea, quæ dicere debemus. *Hugo in didascalie. lib. 5.*

39. In omni doctrina breve aliquid, et certum decet colligere, quod in arcula memoriæ recondatur. Unde postmodum, quum res exigat, aliqua deriventur: hoc etiam sæpe replicare et de ventre memoriæ ad palatum revocare necesse est, ne longa intermissione aboleat. *Hugo ibid.*

40. Lectio duobus modis animo fastidiumingere solet, et affligere spiritum. Et qualitate, videlicet, si obscurior fuerit: et quantitate si prolixior extiterit. In quo utroque magno uti moderamine oportet: ne quod ad refectionem quæsitum est, sumatur ad suffocationem. *Ibid. lib. 5.*

41. Rudis dicitur novus eruditus, quasi à rudi sublatus, ab ignorantia divisus, et in doctrinæ finibus collocatus. *Cass. super Psal. 2.*

42. Narratio est ad causam probabilem faciendam rerum gestarum clara et diligens expositio. *Ibidem.*

43. Miser est, qui ante compulsus est docere, quam discere: et ante præsumens bonum prædicare, quam facere: tanquam sterilis arbor cum non habeat opera pro pomis, spargit verba pro follis, et cum non adsit medulla sensuum, abundat spuma verborum. *Sid. lib. 5. epist.*

44. Quia fragilis est memoria, et rerum turbæ non sufficit, ideo egregiè doctorem formare videtur, qui dicit: Quicquid præcipies, esto brevis, ut cito dicta percipiant animi dociles, teneantque fideles. Omne supervacuum pleno de pectore manat. *Petrus Blesen.*

45. Nunquam super verbis faciam quæstionem, de qua facultate sumatur, dummodo ædificent ad salutem: nam nec de herbis quæritur, qua terra vel cujus hortulani cura et cultura adoleverint, dummodo vim habeant sanativam: nam et de fabularum gentilium moralitate quandoque forma eruditionis elicitur, quoniam fas est ab hoste doceri. *Pet. Bles. in quadam ep.*

46. Scientiarum generosa possessio in plures dispersa, non perditur, et distributa per partes, mino-

rationis detrimenta non sentit: sed eo diuturnius perpetua senescit, quo publicata facundius se diffundit. *Ibidem.*

47. In omni genere causæ necesse est benevolum, attentum, docilem, efficere auditorem: auditorum enim benevolentia captabitur, si res ab eis gestæ fortiter, sapienter, mansuete, magnifice proferentur. Attentos aulem faciemus, si demonstrabimus ea, quæ docturi sumus magna, nova, incredibilia esse: aut ad illos, qui audiunt, aut ad homines illustres, aut ad Deos immortales, aut ad summam Reipublicæ pertinere. Dociles auditores faciemus, si aperte et breviter summam causæ exponemus. *Tullius 1. Rhetor.*

48. Multos imitatio brevitatis decipit, ut cum se breves putent esse, longissimi sint, cum dent operam, ut res multas breviter dicant. *Ibidem.*

49. Sæpe res minus est intellecta longitudine magis, quam obscuritate narrationis. *Ibidem.*

50. Peritia dicendi in tribus consistit, natura, doctrina, et usu. Natura ingenio, doctrina scientia, usu assiduitate: hæc sunt enim quæ non solum in oratore, sed in unoquoque homine artifice expetuntur, ut aliquid efficiat. *Tullius 2. Rhetor.*

51. In exordiendo causam servandum est, ut levis sit sermo, ut usitata verborum consuetudo, ut non adparata oratio videatur. Vitiosum exordium est, quod nimis adparate compositum est, aut nimium est longum, et quod non ex ipsa causa natum videtur, ut proprie cohæreat cum narratione, et quod neque benevolum, neque docilem, neque attentum facit auditorem. *Ibidem.*

52. Proverbium, est sententia generalis, cui consuetudo fidem attribuit: opinio communis assensum accomodat: incorruptæ veritatis integritas acquiescit. *Ibidem.*

53. Parum valet doctrina, nisi industria, studio labore, diligentia comprobetur. *Tullius 3. Rhet.*

54. Quæ bona sunt, fieri meliora possunt doctrina: et quæ non optima, acui tamen et corrigi ali-

quo modo possunt. *Tullius 2. de Orat.*

55. Nunquam nimium dicitur, quod nunquam satis dicitur: quibusdam remedia monstranda sunt, quibusdam incutenda sunt. *Senec. 27. epist.*

56. Eligamus non eos, qui verba magna celeritate præcipitant, et communes locos volvunt, et in privato circulantur, sed eos qui vitam docent, qui quum dixerint, quid faciendum sit, nunquam in eo, quod dixerint fugiendum, deprehenduntur. *Ibidem.*

57. Idem vitium habet nimia, quod nulla divisio: simile confuso est, quicquid in pulverem sectum est. *In epist.*

58. Quid faciendum sit à faciente discendum est. *Senec. epist. 9. extrema par.*

59. Quæ nosti, sine arrogantia postulanti impere: quæ nescis, sine occultatione ignorantia tuæ tibi postula impartiri. *Senec. de quatuor virtutib.*

60. Eam elige doctorem, quem magis admireris quum videris, quam quum audieris. *Senec. epist. 55.*

61. Omnia facta et dicta nostra inter se congruant ac respondeant sibi, non est hic animus in reclo, cuius dicta et acta discordant. *Senec. 20. epist.*

62. Quod sentimus loquamur, quod loquimur sentiamus: concordet sermo cum vita. Ille promissum suum implevit, qui cum videas illum, et cum audias, idem est. *Senec. 45. epist.*

63. Cupio omnia, quæ scio, in alium transfundere: aliquidque gaudeo discere ut doceam: nec me ulla res delectabit, licet sit eximia et salutaris, quam mihi soli profutoram videro. Si cum hac exceptione detur sapientia, ut illam inclusam teneam, nec enuntiem, rejiciam. Nullius boni sine socio jucunda est possessio. *Senec. 27. epist.*

64. Liber cum una forma rem affert, et ex partibus diversis respondet: ideo plus prodest docentem audire quam in libris studere, quia vehementior sit impressio in mentibus audientium ex visu doctoris et auditu, quam ex studio et libro. *Val. Max. lib. 8.*

65. Doctrinæ et eloquentiæ ornamenta in pronun-

tiatione apta, et convenienti corporis gestu consistunt, quibus qui se instruxerit, tribus modis homines aggredditur, aures penetrando, oculos demulcendo, et animos invadendo. *Ibidem*.

Vide etiam in tit. Adjutorium, núm. 32. in tit. Auditor et Consilium, núm. 1, 3, 5. in tit. Correctio, núm. 2, 5. in tit. Curiositas, núm. 16. in tit. Debitum, núm. 2. in tit. Discere, Eloquentia, núm. 5, 15, 16, 17, 20, 21, 23. in tit. Fama, núm. 2. in tit. Hæresis, núm. 10. in tit. Honor, núm. 23. in tit. Laus, núm. 12. in tit. Magister et Modestia, núm. 16. in tit. Patientia, núm. 8. in tit. Prædicatio, Sacerdos, núm. 2 et in tit. Studium, per totum.

DOLOR.

1. Qui peregrinationem propriam diligit, dolere etiam inter dolores nescit. Iusti autem verba dolore sunt plena: quia quousque præsentia tolerat, ad aliud loquendo suspirat. *Greg. l. 7. moral.*

2. Mitigat vim doloris considerata æquitas ferientis. *Greg. ibid. in moral.*

3. Tanto quisque perfectior est, quanto perfectius sentit dolores alienos. *Greg. ibid.*

4. Magnos crucialius habet morbus, sed hos intolerabiles intervalla faciunt. Summi doloris intensio cito invenit finem. Nemo potest valde dolere et diu. Sic nos amantissima nostri natura disposuit, ut dolorem aut tolerabilem, aut brevem faceret: hoc itaque solatium vasti doloris est. *Senec. 97. epist.*

5. Nobis autem ignosci potest prolapsis ad lachrymas, si non nimie decurrerint, si illas ipsi repressimus: nec sicci sint oculi amico amisso, nec fluant: lachrymandum est, non plorandum, per lachrymas argumenta desiderii quærimus, et dolorem non sequimur, sed ostendimus. *Senec. 65. epist.*

6. Finem dolendi qui consilio non fecerit, tempore invenit. *Ibidem.*

7. Turpissimum est in homine prudente remedium

mæroris lassitudo mærendi: malo relinquo dolorem, quam ab illo relinquaris. Annum fœminis constituere majores ad lugendum, non ut tam diu lugerent, et ne diutius. Viris nullum legitimum tempus est: quia nullum honestum. Quam mihi ex illis mulieribus dabis, vix retractis à rogo, vix à cadavere revulsis, cui lachrymæ in totum mensem duraverint? Nulla res citius in odium venit, quam dolor: qui recens consolatorem invenit, et aliquos ad se adducit, inveteratus vero deridetur, nec inmerito. Aut enim simulatus, aut stullus est. *Ibidem.*

8. Vinceres à dolore, si cesseris: vices, si te contra dolorem intenderis. *Senec. 97. epist.*

9. Dura res est dolor, in motu mollis: pauci dolorem poterunt ferre: simus ex paucis. Imbecilles natura sumus. Naturam infamare noli, illa nos fortes genuit. *Senec. de remediis fortunæ.*

10. Doloris rationem ab inimicis exigit, qui patienti dolorem non ostendit. *Senec. in prov.*

11. Graviter irascitur, qui quo dolet, Deo commendat. *Ibidem.*

12. Animo dolenti nihil oportet credere: etiam innocentes cogit mentiri dolor: homo ne sit sine dolore, fortunam invenit. Læso doloris remedium est inimici dolor: dolor decidit, ubi quo crescat, non habet. *Ibidem.*

Vide etiam in tit. Compassio, núm. 9, 13. in tit. Confessio et Consolatio, núm. 2, 3, 5, 6, 11, 15, 16. in tit. Contritio, núm. 9. in tit. Fortitudo, núm. 2. in tit. Gaudium, núm. 5. in tit. Lachryma, núm. 21. in tit. Loquacitas, núm. 12. in tit. Miseria, núm. 15. in tit. Mors, núm. 46, 80.

EBRIETAS.

1. Ebrietas est fomes libidinis, quo per carnes vaporantur interna viscera, animus ignescit. *Aug. in epist. ad quendam Comitem.*

2. Ebrietas est flagitiorum omnium mater, cul-

parumque materia, radix criminum, origo vitiorum, turbatio capitis, subversio sensus, tempestas linguæ, procella corporis, naufragium castitatis, amissio temporis, insania voluntaria, ignominiosus languor, turpitudine morum, dedecus vitæ, honestatis infamia, animæ corruptela. *Aug. ad sacras virg.*

3. Ebrietas in utroque sexu cuncta mala appetit, et nefanda committit, et ut ait Apostolus, regna cælestia appetentibus denegat. *Ibidem.*

4. Quisquis immoderatus convivioque medius amissis modestia frænis, insana fuerit ebrietate prostratus, adversus respicit stantes, quos integros videre nequit aut sermone longo superflua verba emittit, et vana dicta componit, male clamans, et bene sibi sonans. *Ibidem.*

5. Ebrius vultu dejecto supinus accumbit, et sui omnino nescius spectaculum se convivio præbet, et dum nihil consequitur sanum, nullo alio cogente, præter vinum, cordis sui arcana patefacit, et amicorum sibi commissa secreta in medium prodit. *Ibidem.*

6. Assumit inter pocula injusta certamina, et nullis existentibus causis asperam excitat rixam: quia interponendo verba vana aliorum sana dicta non patitur audire, sed in contumeliam erigitur convivarum et proximorum crimina. Vinum potatum moderatè, est medicamentum: plus justo sumptum, venenum esse cognoscitur. Jucunditati, non ebrietati creata est vini materia. *Ibidem.*

7. Per vinolentiam plurimi plurimæque à sancto pioque proposito excidere, et sui obliti, amissis honoribus, ignobiles remanserunt, et sedibus paternis profugi, vilam, ut sumpserunt, finierunt. *Ibidem.*

8. Innumerabiles jugum dominationis diu recusantes vinolentia in alienum redegit arbitrium. Alexander omnium victor vino victus est. Infiniti vero nimio vino impellente, injusta impiaque homicidia commiserunt. Quam plurimæ urbes diu obsessæ, nec raptæ custodibus, somno vinoque sepellis ab hostibus patefactæ sunt, et incendiis concrematæ. *Aug. ad sacras virg.*

9. In ebriis non ratio ulla, non ullum vitæ gerendæ consilium, nec ulla artium, nec gestorum, aut lectionum memoria, aut industriæ providentia est. *Aug. ibid.*

10. Sobrietas in fœminis ad terram deponit aspectum, ebrietas autem amisso pudore inverecundos erigit vultus. *Ibidem.*

11. Sobrietas cum summa trepidatione et silentio irreprehensibile emittit verbum: ebrietas vero immoderatum facit fœminæ et sermonem et vultum. *Ibidem.*

12. Valde turpe est ut quem non vincit homo, vincat libido: et obruatur vino, qui non vincitur ferro. *Aug. in epist. 140.*

13. Ebrietas est blandus dæmon, dulce venenum, suave peccatum, quam qui habet, seipsum non habet, quam qui facit, peccatum non facit, sed ipse lotus est peccatum. *Aug. in quodam serm.*

14. Quicumque ad bibendum pronus fuerit, vel in convivio suo alios suos adjuravit, pro se, et pro ipsis, in die judicii reus erit. *Aug. ibid.*

15. Ebriosus quem absorbet vinum, absorbetur à vino, abominatur à Deo, despicitur ab angelis, deridetur ab hominibus, destituitur à virtutibus, confunditur à dæmonibus, conculcatur ab hominibus. *Aug. in lib. de pœni.*

16. Ebriosus confundit naturam, amittit gratiam, perdit gloriam, incurrit damnationem æternam. *Ibid.*

17. Noë ad unius horæ ebrietatem nudavit femoralia sua, quæ per sexcentos annos contexerat. *Hier. in epist. ad Ocean.*

18. In vino luxuria est, et ubicumque saturitas, et ebrietas, ibi libido dominatur. *Hier. sup. ep. ad Tim.*

19. Ebrietas est, per quam menti quædam sui oblivio generatur ex superfluatorum potuum indulgentia. *Isid. lib. 5. etymologiarum.*

20. Nihil est ita dæmoni amicum, sicut ebrietas, et lascivia, quæ est mater omnium vitiorum. Ante omnia autem vitetur à clericis, quæ omnium pecca-

lorum radix, ac nutritrix est. *Chrys. super illud Matth.*

21. Ebrietas iudicium rationis offuscat: contentiones et bella procurat: robur et naturalem virtutem enervat: infirmitatem generat: mortem naturalem adducit: rebus temporalibus spoliatur, et quod deterius est, divinam maledictionem inducit. *Hugo de S. Victor.*

22. Ebrietas in laico crimen est: in sacerdote sacrilegium: quia alter animam suam necat vino, alter spiritum sanctitatis extinguit. *Pet. Rav. in quodam serm.*

23. Ebrietas mater litium, furoris generatrix, petulantiae magistra: hanc qui habet, homo non est: hanc qui habet, non peccatum facit, sed est ipse peccatum: hæc enim est rabies voluntaria: invitatus hostis, illecebra honestatis, et pudoris injuria. *Pet. ibid.*

24. Ubi enim regnat ebrietas, ratio exulat, intellectus obtunditur, consilia deviant, iudicia subvertuntur. *Ibidem.*

25. Vini usus Romanis sceminis ignotus fuit, ne scilicet in aliquod dedecus prolaberentur, quia proximus à Libero patre intemperantiae gradus ad incessam Venerem esse consuevit. Quæcumque enim scemina vini usum appetit immoderate, et virtutibus januam claudit, et delictis aperit. *Val. Max. lib. 5. de memor. dictis et factis Rom.*

26. Quemadmodum musto dolia ipsa rumpuntur, et omne, quod in imo jacet, in summam partem vis caloris eieciat: sic vino exæstuante quicquid in imo jacet abditum, effertur, et prodit in medium. Onerati mero quemadmodum non continent cibum vino redundante, ita nec secretum quod suum est, et alienum pariter effundunt. *Senec. 84. epist. ad Lucill.*

27. Audi quemadmodum Zeno vir maximus collegat virum bonum non futurum ebrium. Ebrio nemo secretum sermonem committat. Vir ergo bonus ebrius non erit: quemadmodum opposita interrogatione simili derideatur, attende: dormienti nemo secretum committit: viro autem bono committit: vir ergo bonus non dormit. *Senec. ibid.*

28. Interim si hoc colligere vis, virum bonum

non debere ebrium fieri, cur simile agis? Dic quam turpe sit, plus sibi ingerere, quam capiat stomachus: et stomachi sui non nosse mensuram. Quam multa ebrii faciunt, quibus sobrii erubescunt? nihil aliud esse ebrietatem, quam voluntariam insaniam. Extende in plures dies illum ebrii habitam, nunquid de fure dubitabis? nunc quoque non est minor, sed brevior. *Ibidem.*

29. Refertur Alexandri Macedonis exemplum: qui Clitum charissimum sibi ac fidelissimum inter epulas transfudit, et intellecto facinore, mori voluit. Cogita quas clades ediderit publica ebrietas: hæc acerrimas gentes bellicosasque hostibus tradidit: hæc multorum annorum pertinacia bello defensa mœnia patefecit: hæc contumacissimos et jugum recusantes in alienum redigit arbitrium, invictos enim acie, mero domuit. *Ibidem.*

30. Alexandrum, cujus modo feci mentionem, qui tot itinera, tot prælia, tot hyemes, per quæ victa temporum locorumque difficultate transierat, tot flumina ex ignoto cadentia, tot maria tutum dimiserunt, intemperantia bibendi, et ille Hærculanens ac facilis cyphus submersit. Dic ergo, quare sapiens non debeat ebrius fieri? deformitatem rei et importunitatem ostende rebus, non verbis, quod facillimum est. *Senec. ibid.*

31. Nonnulli majorem partem noctis in conviviis exigunt: vino vero madentes, et mersi usque ad horam sextam dormiunt, hoc est malutinum eorum. *Senec. 85. epist.*

32. Certè detegit omne vitium ebrietas et incendit, ubi possedit animum nimia vis vini: quicquid male latebat, detegit, vel emergit, non facit ebrietas vitia, sed protrahit: tunc impudicus morbum profitetur ac publicat, tunc petulans non linguam, non manum continet: crescit insolenti superbia, crudelitas sævo, malignitas livido, omne vitium grassatur, et prodit. *Ibidem.*

33. Adjice illam ignorantiam sui, dubia et parum

explanata verba, insertos oculos, gradum errantem, vertiginem capitis tecta, ipsa mobilia, velut aliquo turbine circumagente totam domum stomachi torrentia, quum effervescit merum ac viscera ipsa offendit: tunc lamen utcumque tolerabile est, dum illis vis sua est, quod cum somno viliatur, quæ ebrietas fuit, crudelitas facta est. *Ibidem.*

34. Quæ gloria est capere multum? quum enim penes te palma fuerit, et superstes tui convivio fueris, quum omnes viceris virtute magnifica, et nemo vini tam capax fuerit, vinceris à dolio. *Senec. ibid.*

35. Ebrietates continuæ animos in furorem adducunt: nam quum sæpe apud se non sunt consuetudine insaniam durata vitia: vino lamen concepla etiam sine vino valent: vinolentiam enim violentia sequitur. *Senec. ibid.*

36. Absentem lædit, qui cum ebrio litigat. *Senec. in prover.*

37. Quid turpius ebrioso, cui fætor in ore, tremor in corpore? Qui promit stulta, prodit occulta, cui mens alienatur, facies transformatur? Nullum enim secretum ubi regnat ebrietas. Fœcundi calices quem non fecere disertum? *Innoc. de vilitate conditionis humanæ.*

Vide etiam in tit. Devotio, núm. 12. in tit. Sobrietas.

ECCLESIA.

1. Ecclesia, est quædam forma justitiæ, id est, commune jus omnium. In commune orat, in commune operatur, in commune tentatur; sine Ecclesiæ catholicæ societate, nec alieni baptismus prodesse potest, nec opera misericordiæ, nisi forte, ul minus torqueatur. *Aug. de fide ad Petrum.*

2. Adhuc habet ecclesia, quo crescat, donec illud impleatur: *Dominabitur à mari, usque ad mare. Aug. super Matth.*

3. Ecclesia nunc orat pro omnibus: nec tamen pro omnibus exauditur. *Aug.*

4. Ecclesia velut lilium inter spinas, malis et bonis est permixta. *Aug. lib. 5. de Bapt.*

5. Hoc Ecclesiæ proprium est, ut tunc vincat, quum læditur: tunc intelingat, quum arguitur: tunc obtineat, quum deseritur. *Hilar. de trinit. lib. 4.*

6. Hoc habet proprium Ecclesia, dum persequitur floret: dum oprimitur, crescit: dum contemnitur, proficit: dum læditur, vincit: dum arguitur, intelligit: tunc stat, quum superari videtur. *Hilar. ibid.*

7. Non altera Romanæ urbis Ecclesia, altera totius orbis æstimanda est. Gallia et Bythinia, et Persis, et Oriens, et India, et omnes barbaræ nationes, unum Christum adorant: unam observant regulam veritatis. Si auctoritas quæritur, orbis major est urbe: ubicumque fuerit Episcopus sive regio, ejusdem meriti est, ejusdem sacerdotii potentia: divitiarum et potestatis gradus, et paupertatis humilitas, vel subliorem vel inferiorem Episcopum non faciunt. Cæterum omnes Apostolorum succesores sunt. *Hier. ad Evandrum præbyterum.*

8. Quid, inquit, Arcturi nomine, qui in cæli arce constitutus septem stellarum radius fulget? ubi universalis Ecclesia exprimitur. Arcturus, inquit, semper versatur, et nunquam mergitur: sic Ecclesia persecutiones tolerat, sed sine defectu perdurat. *Greg. 9. mor. super illud Job: Qui facit Arcturum.*

9. Est, inquit, in Arcturo quod consideratius possumus intueri: in septem quidem stellis volvitur, et modo quidem tres ad summa elevat, atque ad ima quatuor inclinat, modo quatuor superius exigit, et tres inferius premit: sic sancta Ecclesia cum modo infidelibus trinitatis notitiam, modo verò fidelibus quatuor virtutes, quasi rotatu prædicationis, status sui spem quodammodo immutat. *Greg. 29. super illud Job: Aut gyrum Arcturi.*

10. Arca cessante diluvio in monte requievit, quia vitæ hujus corruptione cessante, quum malorum operum fructus transierint, in cælesti patria, sancta Ecclesia velut in excelso monte requiescit. *Greg. in epist. ad Jesanum.*

11. Sancta Ecclesia duas vitas habet. Unam qua merces colligitur. Aliam, in qua jam de receptis muneribus gaudet, atque in utraque vita offert sacrificium, hic videlicet sacrificium compunctionis, illic sacrificium laudis. *Greg. in quadam hom. super Ezech.*

12. Tunc sancta Ecclesia valentius in veritate reficitur, quam ardentius pro veritate fatigatur. *Greg. in moral.*

13. Sicut Ecclesia proprias res amittere non debet, ita rapacitatis ardore alienas invadere non debet. *Greg. in registro.*

14. Sancta Ecclesia consistit unitate fidelium, sicut corpus unitate membrorum. *Greg. lib. 19. moral.*

15. Ecclesia afflictionis tempore proverbium pravis efficitur. *Greg. 10. moral.*

16. O vanitas vanitatum: sed non vanior, quam insanior: fulget Ecclesia in parietibus, et eget in pauperibus: suos lapides auro induit, et suos filios nudos deserit: de sumptibus egenorum servitur oculis divitum. *Bern. in apolog.*

17. O humilitas et sublimitas et tabernaculum Cedar et sanctuarium Dei, et terrenum habitaculum, et caeleste palatium, et domus lutea, et aula regia, et corpus mortis, et templum lucis, et despectio denique superbis et sponsa Christi. *Bern. super cant.*

18. Omnino proditorem se esse noverit, quicumque est ille, qui vilia quælibet in hanc domum conatur inducere, et templum Dei speluncam vult facere dæmoniorum. *Bern. in serm.*

19. Sponsa, id est, Ecclesia Christi nihil sibi gloriosius putat, quam Christi portare opprobrium. *Bern. super Cant.*

20. Ecclesiae nomine non tantum una anima, sed mullarum unitas designatur. *Bern. in Cant. serm. 6.*

21. Præsumit Ecclesia non de suis meritis, sed Dei misericordia. *Bern. in Cant. serm. 6.*

22. Ecclesia media est inter cælum, quod est locus tantum honorum: et infernum, qui est locus tan-

lum malorum: ipsa vero Ecclesia media est: quia indifferenter bonos et malos colligit, quod figuratum est in arca Noë, ubi animalia mita simul erant cum animalibus immitibus. *Chrys. super illud Matth. 22. Congregaverunt.*

23. Quod habet Ecclesia, cum omnibus nihil habentibus debet habere commune: nec aliquid inde eis, qui sibi de suo sufficiunt erogare: quoniam nihil aliud est sic habentibus dare, quam perdere. *Prosper. pro vita contemplativa.*

24. Differentia est inter synagogam et Ecclesiam. Synagoga est congregatio, Ecclesia vocatio. Possunt autem irrationabilia congregari, vocari autem nequam: et ideo visum est doctoribus nominare Ecclesiam. *Rab. super Matth.*

25. Tria possumus assignare tabernacula, scilicet materiale, mysticum, et morale, id est, tabernaculum Moysi, tabernaculum Christi, tabernaculum cujuslibet justi. Tabernaculum Moysi fuit ex diversis generibus ornamentorum conveniens structura: Tabernaculum Christi est Ecclesia, Tabernaculum justii, quælibet fidelis anima. Unum sit ex lignis imputribilibus, aliud ex sanctis animabus, tertium ex donis et virtutibus. Moyses suum erexit in eremo, Christus in mundo, justus in animo: omnes tamen in deserto ædificaverunt. *Hugo lib. 5. de clauastro animæ.*

26. Ecclesia est singularis fidelium uniuscujusque civitatis congregatio. *Hugo.*

27. Novit Ecclesia beneficio Domini triumphare de suis cladibus, ingravata persecutionibus siquidem proficit, afflictionibus semper augetur, sanguine martyrom irrigatur, tristitia magis erigitur, angustia dilatatur, sletibus pascitur, jejuniis reficitur, et inde potius crescit, unde mundus deficit. *Cass. super Psal. 1.*

28. Ad Ecclesiam bonam spiritualia pervenerunt, et fidei insuperabile fundamentum, spei certissimum præmium et suave vinculum charitatis, quarum rerum tunc tenet imagines, et in futuro est perenniter possessura virtutes. *Cass. ibid.*

29. Ecclesia enim magis incipiet esse uberrima, quum ad finem seculi erit perducta: tunc enim passionibus electorum citò implebitur numerus bonorum. *Cass. super Psal. 30.*

30. Quod enim stipiti rami, quod capiti membra, quod Soli radii, quod fonti rivuli, hoc apostolica sedis eminentiæ debent omnes Ecclesiæ, quas ubique terrarum religio Christiana fundavit. *Pet. Rav.*

Vide etiam in tit. Antichristus, núm. 14, 17. in tit. Clericus, núm. 3, 6, 7, 11, 12, 14. in tit. Mundus, núm. 20. in tit. Servitium, núm. 8, 9. in tit. Superbia, núm. 1, 12.

ELECTIO.

1. Quis ferat, si quis divitem eligat, ad sedem honoris ecclesiæ, contempto paupere instructiore et sanctiore? *Ambr. super illud Jacob. 4. Nolite in personarum acceptione habere fidem Domini nostri.*

2. Ad episcopalem dignitatem eligi non debuit, qui minora officia gubernare non didicit, quia cura navis illi committi non debuit, qui remum tenere non novit. *Aug. in quodam serm.*

3. Hæc pax domestica, et cohabitantium ordinata à Deo concordia, et clara justitia, ut scilicet, qui excellent ratione, excellent dominatione. *Aug. in lib. sent. et est glo. col. ult.*

4. Deus non eligit dignos, sed dignos eligendo facit. *Aug. lib. 3. cont. Jul.*

5. Non statim multitudinis acquiescamus iudicio sed electi in principatum noverimus miseriam nostram et humiliemur sub potenti manu Dei, quia Dominus superbis resistens humilibus dat gratiam. Quanti panes non habentes et vestimentum, cum ipsi esuriant et nudi sint, nec habeant spirituales cibos, neque Christi tunicam integram servaverunt, aliis alimoniam vestimentumque promittunt, et pleni vulneribus medicos esse se jactant? *Hier. super Esa. lib. 5.*

6. *Non sum medicus, et in domo mea non est*

panis neque vestimentum: nolite me constituere principem. Sicut in ordinationibus malorum, princeps est peccatorum, qui tales constituit: sic in ordinatione sanctorum princeps est eorum justitiæ, qui bonos eligit. *Hier. super Esa. lib. 12.*

7. Moyses amicus Dei, cui facie ad faciem Dominus locutus est, potuit utique successores principatus filios suos facere, et posteris propriam relinquere dignitatem, sed extraneus de alia tribu eligitur Jesus, ut sciremus principatum in populos non sanguini deferendum esse, sed vitæ. At cernimus nunc plurimos hominum beneficium facere, ut non quærant eos, qui possunt in ecclesia plus prodesse, in ecclesia erigere columnas, sed quos vel ipsi amant, vel quorum sunt, obsequiis delinuit: vel pro quibus majorum quisquam rogaverit: et (ut deteriora laceam) qui ut clerici fierent, muneribus impetrarunt, et constituantur per civiles. *Hier. super ill. Titul. 1. et ponitur 8. q. 1. cap. Moyses.*

8. Quæritur cur non Joannes electus est virgo, scilicet ut esset caput ecclesiæ, respondit, ætati delatum est: quia Petrus senior erat, ne adhuc adolescens pene puer progressæ ætatis hominibus præferretur. *Hier. cont. Jovinian.*

9. Res pene contra naturam est, ut sine peccato aliquis sit: sed talis eligatur, cujus comparatione cæteri grex dicantur. *Hier. in epist. ad Ocean.*

10. Conqueratur se ferre non posse, et juvenem ætatem incongruam sacerdotio causabatur: sed quanto plus repugnabat, tanto magis omnium in se studia concitabat, et merebatur negando, quod esse nolebat, eo quod dignior erat, quo se clamabat indignum. *Hieron. ad Heliod.*

11. Si in quibuslibet ecclesiæ gradibus, providè omnis gradus constituitur, non erratur. Nam totus familiæ Domini status et ordo, mutabitur, si quod requiritur in corpore, non invenitur in capite. *Leo papa in quodam ser. et ponitur 61. distinct.*

12. Sicut enim boni operis sibi comparat fructum,

qui rectum tenet in eligendo sacerdote iudicium: ita gravi semetipsum afficit damnatione, qui ad suæ dignitatis collegium, sublimat indignum. *Ibidem.*

13. Valde iniquum est et absurdum, ut imperiti magistris, novi antiquis, rudes præferantur eruditis. *Ibidem.*

14. Requiritur in ordinando sacerdote, et præsentia populi, ut sciant omnes et certi sint, quia qui ex omni populo est præstantior, qui doctior, qui in omni virtute eminentior, ille eligitur ad sacerdotium, et hoc adstante populo, ne aliqua postmodum retractio cuiquam, ne quis scrupulus resideret. *Orig. super Levit.*

15. Discant electorum Principes, successores sibi non eos, qui consanguinitate generis juncti sunt, neque qui carnis propinquitate sociantur, testamenta signare, neque hereditarium tradere ecclesiæ principatum sed referre ad iudicium Dei, et non negligere illum quem humanus affectus commendat, sed totum Dei iudicio de successoris electione permittere. *Orig. super ill. Num. 27. Provideat Domin. spiritum omnis car. etc.*

16. Nulla hæc populi acclamatio, nulla propinquitatis acclamatio: propinquis agrorum et prædiorum relinquatur hæreditas: gubernatio autem populi illi tradatur, quem Deus eligit, qui scilicet in se habet spiritum Dei, id est, in quo sit claritas legis et scientiæ, ut possint eum audire filii Israel. *Ibidem.*

17. Necessè est prudentissimum eligere, qui possit contra subtilissimos disputare, et in conventu doctorum sic agere, ne susceptam causam tot erudita possint ingenia superare. Magna res est contra artifices loqui, et apud illos aliquid agere, qui se putant omnia providere. *Cass. lib. 4. epist.*

18. Necessarium probatur esse Reipublicæ, personas dignitatibus aptas eligere, ut cui iustitia committitur, malis moribus non gravetur, alioquin inefficax est ab homine exigere, quod agnoscitur non habere: et confitentem quæritur quod inesse sentitur. *Cass. lib. 3. epist.*

19. Ligna sylvarum non olivam, non ficum, non vitem, sed Rhamnum sibi elegerunt in regem, et *egressus est ignis de Rhamno et devoravit Cedros Libani. Pet. Rav. in quadam epist.*

20. Hæc est justa causa, ex equitate veniens partitio, ut meliores semper in officiis præferantur: pessimi autem cives vel minus boni luce careant dignitatis. *Apul. in lib. de dogmate.*

21. Apud Thraciam in regis electione, non nobilitas prævalet, sed suffragium universorum. Populus enim eligit spectatum moribus, et inveterata clementia, et annis gravem, sed hoc in eo queritur, cui liberi nulli sunt. Nam qui pater fuerit, etiam si vita polleat, non admittitur ad regendum: et si forte dum regnat, genuerit, exiit potestate, ideoque maxime custoditur, ne fiat hæreditarium regnum: deinde etiam si rex maximam præferat æquitatem, nolunt ei totum licere, quadraginta ergo rectores accipit, ne in causis capitum solus iudicet. Sic quoque si displicuerit iudicatum, ad populum provocatur, atque ita datis iudicibus septuaginta fertur sententia, cui necessario acquiescitur. *Plato. Solin. de mirabil. mundi.*

22. Aliquis vir bonus nobis eligendus est, ac semper ante oculos habendus, ut sic tanquam illo spectante vivamus, et omnia tanquam illo vidente faciamus. Magna pars peccatorum tollitur, si peccatoris testis adsistat. *Seneca.*

Vide etiam in tit. Acceptio num. 1, 4. in tit. Doctrina, num. 56; 60. in tit. Honor, num. 3. in tit. Humilitas, num. 1, 15. in tit. Iudex, num. 14, 15. in tit. Meritum, num. 16. in tit. Prælatio, num. 16, 26. in tit. Regimen, 16, 28. in tit. Servitium, num. 11.

ELEEMOSYNA.

1. Qui vult ordinate dare eleemosynam, à seipso debet incipere, et eam sibi primo dare. Est enim eleemosyna opus misericordiæ, verissimeque dictum est: *Miserere animæ tuæ placens Deo. Aug. in Enchir.*